

lanaeque rarescunt. Quadripedum dorsa pilosa, uentres glabri. Boum coriis glutinum excoquitur, taurorumque praecipuum.

XCV. Mammæ homo solus e maribus habet ; cetera 232 animalia mammarum notas tantum. Sed ne feminae quidem in pectore nisi quæ possunt partus suos attollere. Oua gignentium nulli ; nec lact nisi animal parienti. Volucrum uespertilio tantum : fabulosum enim arbitror de strigibus, ubera eas infantium labris inmulgere. Esse in maledictis iam antiquis strigem conuenit, sed quæ sit auium, constare non arbitror.

(40).Asinis a fetu dolent, ideo sexto mense arcent par- 233 tus, cum equæ anno prope toto praebeant. Quibus solida ungula nec supra geminos fetus, haec omnia binas habent mammæ, nec aliubi quam in feminibus. Eodem loci bisulca et cornigera, boues quaternas, oues et caprae binas. Quæ numeroso fecunda partu et quibus digiti in pedibus, haec pluris habent et toto uentre duplici ordine, ut sues, generosae duodenas, uolgares binis minus ; similiter canes. Alia uentre medio quaternas, ut pantherae, alia binas, ut leaenae. Elephans tantum sub armis duas nec in pectore, sed citra in alis occultas. Nulli in feminibus digitos habentium. Primis genitis in quoque partu sues primas 234